

K. 369 2.89

K. 360

94 A 7331

AK



1.
10

SCHEDIASMA
IN QVO
APOLLONIO PERGAEO
DOCTRINAE
C V R V A R V M
PROMOTAE
GLORIAM
VINDICAT
ET
GENEROSIS NOBILISSIMIS QVE
DOMINIS COMMILITONIBVS
PRAELECTIONVM MATHEMATICARVM
P V B L I C A R V M
A V S P I C I A
COMMENDAT
IO. FRIDERICVS VVEIDLERSVS
MATHEMATIVM PROFESSOR PUBLICVS
EXTRAORDINARIVS
A. R. G. 1719 CC XV.



Q. D. B. V.

APOLLONII PERGAEI DEFENSIO.

I.

Hinter nobiliora Megethometriae capita merito quodam suo refertur KAMYI-METRIA, sive doctrina curuarum, eas complexa veritates, quae, quo sunt difficiliores & sublimiores, maioris que & per magnitudinem & naturalem, quatenus quidem haec a mathesi iuuatur, scientias v�us; eo quoque praestantiorem animi vim, contentionem constantiorem, & speculations paulo profundiore requirunt. Hinc etiam post rectilineorum quantorum affectiones detectas, maturo iam olim indirectarum extensio-
num natura, & ad rectas iam cognitas exacta relatio inue-
stigata fuit. Quemadmodum vero cuncta suis nascuntur & paulatim surgunt initii, ita & non primo statim, quo in his rebus excogitandis ordinandisque occupabantur maxime perspicacia veterum quorundam mathematicorum ingenia, tempore, altioris curuae indaginis propositae versataeque sunt; sed in principio simplicissima, quae per rectae eandem longitudinem constanter seruantis & in orbem gyrate, extremi puncti motum describi, & πρώτιστον καὶ ἀπλου-
στότον τὸν σχημάτων καὶ τελείστατον, vt PROCLI verbis ex L. II. comm. ad Eucl. p. m. 41. utrū, terminare concipiebatur, cogitationes omnium in se convergit, efficitque, vt in illius consideratione, non plane nullis impedita difficultatibus, aliquamdiu antiquioris aeuī Geometrac detinerentur: do-
nec tandem pyramidis infinitangulae, quam νῦν appellab-
ant, fictiones nouam eandemque copiosam contempla-
tio-

A. 2

tionum materiem obiicerent. Horum τμαράτων inuentio cui primo auctori debeatur, nemo scriptorum reliquit memoriae proditum; laudant tamen ARISTAEVM aliquem seniorem Geometram, qui, antequam de conicis illis quicquam euulgaretur, aggressus difficile negotium est, & curuarum noui ordinis linearum interpretationem laudabili admodum conatu suscepit. Aristaeus ille ante Euclidem flouruit, & PAPPO οὐτάξεως L. VII. teste, V. τόπων σερεῶν Libros publicam in lucem emisit: qui temporum iniuria omnes interierunt. Ausus tamen est VINCENTIVS VIVIANI Galilei discipulus & Mathem. Florent. deperditos Aristaei libros propriis ex coniectationibus restituere, eumque in finem scripsit, *de locis solidis diuinationem Geometricam, in V libros iniuria temporum amissos Aristaei senioris Geometrae ed. Florent. c15 15C LXXVI. & auctius c15 15C I. fol. conf. Act. L. c15 15C III. p. 487.* Post Aristaeum EVCLIDES auctor σογχειστεως celebratissimus, Alexandrinae Vrbis & Scholae sub Ptolemaei Lagidae imperio decus de conicis sectionibus quatuor libros compofuit, de quibus sequentem in modum PAPPVS l.c. explicavit: *Euclides fecutus Aristaeum luculentum Scriptorem in iis, quea de conicis tradiderat, neque antevertens, neque volens, eorum tractationem deſtruere, cum mitissimus effet & benignus erga omnes, quatuor libros conicorum scripsit.* conf. DAV. GREGORII Praef. ad Opp. Eucl. Oxon. c15 15C III. f. edita. Verum eadem cum Aristaei voluminibus Euclidea haecce experta sunt fata, nec de illo argumento quidquam, quod Euclidis nomen praferat, superfites est.

II.

Nouis autem iisque prorsus egregiis augmentis μετρία creuit, ingenio summi & subtilissimi Geometrae Apollonii; cui impraeſentiarum ex instituto laudem illam, contra quorundam, finistre de illius meritis ſentientium, opinione vindicabo. Patriam habuit Apollonius Pergam Pamphiliae urbem, qua relicta, Alexandriae, quae tum Mathematicorum ſedes erat, Scientiis, quae circa quantitatibus determinationem verſantur, eo ſuccesu dedit operam, vt ob

ob vim mentis singularem, iamiam sub Ptolemai Euergetae primi imperio, L ferme post Euclidem annis, circa Olymp. CXXXIV Vrb. Cond. DX & ante C. N. CCXLII αντιβέστας omnium ore celebraretur: quod ipse HERACLIVS auctor vitae Archimedis desperitae, quam EVTOCIVS, Seculo V post C. N. clarus, sub init. Comment. in Con. Apoll. memorat, testatus fertur. comp. GERH. IO. VOSSII Tr. de Scientiis Mathematicis p. 54. IO. BAPT. RICCIOLI Chron. P. II. p. XXX. sub init. Alm. N. add. L. MOREY Dicit. & Celeb. D. I. A. FABRICII Bibl. Gr. L. III. Cap. XXII. Scriptis hic ipse Apollonius non modo varia περὶ λόγου ἀποτομῆς, περὶ χωρίου ἀποτομῆς, περὶ διορισμῆς τοῦ οὗ, ἐπαφῶν, νένσεων, τοτὸν ἐπιπέδων, quibus addit PROCLVS p. m. 21. τὰ περὶ τῶν ἀτάκτων λόγων, & p. 29. γράμμα περὶ τοῦ κοχλίου, sed praecepit etiam octo conicorum libros, maxima approbatione composuit & publicauit. Horum primus tradit generationum trium coni sectionum, & earum, quae oppositae dicuntur; itemque principalia figurarum accidentia, vberius & vniuersalius, quam ab aliis factum fuerat, elaborata. Cum enim vetustiores Geometrae tantum sectiones coni, a plato latus coni ad rectos angulos penetrante, factas contemplarentur; & solas nouifent sic ortas rectanguli, acutanguli & obtusanguli coni sectiones; Apollonius vniuersalius naturam illarum linearum exponebat & rationibus manifestis demonstrabat, in cono omni, quemcunque etiam angulum illius latera comprehendant, tres earundem proprietatum sectiones ubiuis re praefentari posse: quo ostensio, ὅρθογωνου κώνου τομῶν nominabat παραβολὴν, quod semiordinata posset factum ex abscissa in parametrum sive latus rectum; eandemque ubiuis nasci significabat: si modo conus fecetur per planum, quod est opposito lateri parallelum. οξυγωνίου κάνου τομῶν vocabat ἔλλειψην, quod semiordinatae quadratum aequale esset facto ex abscissa in parametrum, demto prius alio facto, quod oritur ex eadem abscissa in quartam proportionalem inter latus transuersum, rectum, & abscissam: quam prodire docuit, si modo fecetur conus plano ad basin inclinato, &

cum baseos continuatione concursuro. Denique $\alpha\mu\beta\lambda\sigma$ -
 $\gamma\omega\nu\iota\omega\eta\omega\tau\omega\alpha$ dicebatur $\bar{\nu}\pi\bar{\rho}\beta\omega\bar{\lambda}\bar{\eta}$, quod semiordinata &
factum ex abscissa in L. R. & aliud simul posset, quod fit ex
abscissa in quartam proportionalem inter latus transu. R. &
abscissam. Haec figura oritur, si penetret conum planum,
quod continuatum cum latere eiusdem coni opposito pro-
ducto, vel etiam latere coni oppositi concurrit. conf. L. I.
Th. XI. XII. XIII. Secundus liber tractat ea, quae attinent
ad diametros & ad axes sectionum, & ad illas lineas, quae
cum sectione non conueniunt, quae $\alpha\sigma\iota\mu\pi\tau\omega\tau\omega$ appellantur.
Tertius liber continet multa & admirabilia theorema-
ta, quae utilia erant, & ad solidorum locorum composicio-
nes & ad determinationes, quorum plura & pulcerrima &
& noue sunt. Quarto tradidit, quot modis conorum sec-
tiones inter se & circuli circumferentiae occurrere possint,
& multa alia ad pleniorum doctrinam, quorum nihil ab iis,
qui ante eum fuerunt, memoriae proditum esse, ipse affir-
mare poterat. Reliqui tantum ad abundantiorem doctrin-
am spectabant; Quintus enim agebat de minimis & maxi-
mis, quem VIVIANI, antequam in lucem protraheretur,
suo ex ingenio restituere laborauit, & Geometricam illam
de maximis & minimis diuinationem Florentiae A.
c. 10 LIX. f. publicauit. Sextus tractabat de aequalibus &
similibus coni sectionibus. Septimus continebat theorema-
ta, quae determinandi vim habent. Octauus problemata co-
nica determinata complectebatur. comp. A POLLONII
Praef. Conicis ad Eudemum praemissam. adde MARINI
MERSENNI *Vniuersae Geometriae mixtaeque Mathematicae*
Synopsia Parif. 4. ed. c. 10. 10. XLIV. ubi p. 276. quatuor priorum
librorum Apollonii theorematata inserta reperiuntur. De
Historia horum operum, & editionibus variis, posteriori-
rumque ab Arabibus ad nos translatorum fatis, legatur idem
MERSENNVS l. c. adde VOSSIVM l. c. & D. FABRIC. l. c.

III.

Iam igitur prima excutienda est quaestio, utrum Apol-
lonius, quatuor priorum, qui de conis agunt, librorum
primus auctor ex merito putari haberique possit. PAPPVS
Seculi

Seculi IV. vel V. p. C. N. scriptor, occasionem de origine
illorum foetuum dubitandi suppeditauit, dum affirmat, A-
pollonium Euclidis de conicis sectionibus inuenta & de-
monstrations vterius explanasse, & compleuisse, & qua-
tuor alios libros iisdem adiecisse. Haec ita nonnulli inter-
pretati sunt, quasi Pergaeus parum hinc inde interpolata
Euclidis opera, suis non adeo copiosis accessionibus aucta
vulgauerit, & ceteroquin maximam antiquarum veritatum
partem retinuerit: vt adeo tantum non integra priora IV.
volumina non ei, sed Eucli tribuenda videantur. hinc
VOSSIVS p. 55. scribere non veretur: Non adeo posse mi-
rum cuidam videri, vnde tam ingeniosa & subtilia eaque
tam multa in abstrusissimo Geometriae capite detexerit A-
pollonius: accepisse eum plurima a discipulis Euclidis, &
non fuisse difficile, eadem, quae Euclides in quatuor libris
dixerat, commentario illustrare, & totidem alios adiungere.
Quamvis autem haec accusatio multo sit tolerabilior ea,
de qua deinceps dicetur, non possum tamen facere, quin &
huic manifestis ex rationibus contradicam. I. Per pauca ex
Euclideis ab Apollonio seruata fuisse, docet earum, quas
prioribus quatuor libris tradidit, veritatum consideratio, &
comparatio cum iis, quas Euclides ante eum in lucem pro-
ferre potuit. Maxima enim illarum pars innititur nouis de
natura sectionum conicarum conceptibus, de quibus in
principio statim Pergaeus ita disputat, vt, nisi contra com-
munem veterum consensum, affirmaueris, ante eum fuisse
sectiones conorum rectorum & scalenorum cognitas, mini-
me omnium dicere possis, theorematum Apollonii in primis
voluminibus data, vna cum praecipuis nominum exposicio-
nibus ab Euclide esse deriuata. II. Audiendus est etiam
ipse Apollonius, qui sua aerate in limine operis adferere
poterat; nouas & uniuersaliores demonstrationes a se re-
pertas, in quatuor libris prioribus, exhiberi. Neque ha-
buit inter coaeuos sibi repugnantem, cum celebratissima
Euclidis scripta multorum procul dubio manibus adhuc te-
rerentur; quae mox excussa & omissa sunt, postquam orbi
theorematum sua noua Pergaeus patefecerat, quorum dignitas,
subli-

sublimitas, & amplitudo omnium admirationem & cultum promeruit, adeo ob illam singularem perspicaciam in doctrina curuarum augenda demonstratam a suaetatis hominibus MAGNVS GEOMETRA, vti ex Gemini praeceptionum Mathematicarum Libro VI. Eutocius perhibet, appellaretur. Duo haec vsque adeo luculenta imo iniuncta argumenta sunt, vt iis penitus non possumus non adserere Apollonio promota*ηαυτικετρίας* gloriam. Quare nolo amplius PAPPI auctoris, qui plurquam quadringtonitorum annorum interalio ab Apollonii aetate remotus est, nouitatem opponere; aut Vossii obiectiunculam, quasi Apollonii conatus, quibus conorum scientiam explanare laborauit, leues, nec adeo magni momenti sint, cui vniuersi operis ratio apertissime repugnat, explodere; sed ad alterius, quae magis Pergaei laudes imminuit, accusationis examen protinus me conuertam.

IV.

Postulatur autem Apollonius plagii cuiusdam, quod surreptis Archimedis Syracusani ineditis de conis commentariis, & suo sub nomine fraudulenter in lucem prolati, commisisse dicitur: quam temeritatem noui hucusque a nemine esse ex instituto confutatam: vnde dabo operam, vt brevibus, sed dignis, vt arbitror, rationibus reiciatur. Occasionem controversiae dedit HERACLIDES, qui, teste EVTOCIO in praef. Comm. ad Archimed. *κύκλου μέτρησιν* p. m. 49. ed. Th. Gekhauf. f. Venatorii ap. Hervag. Bafilio i o. XLIV. Archimedis vitam olim descripsit. Quis ille HERACLIDES fuerit, certo non constat; plures enim celebrantur a veteribus cognomines, & DIOGENES LAERTIUS de Vitis Philos. L. V. p. m. 316. magnum eorum numerum allegavit, quos inter, vtrum & nostri facta sit mentio, affirmare non possumus, nullibi enim vitae Archimedis memoriam conferuauit. Non defunt, qui illum Herclidem intelligi volunt, quem ipse ARCHIMEDES Op. de Spiralibus sub init. praef. ad Dositheum p. m. 81. his verbis memorauit: *τὰν ποτὶ κάνοντα ἀποσαλέντων θεωρηστῶν, οὐ πέρ ὡν αἰεὶ τὰς ἀποδεῖξεις ἐπιτέλλεις μοι γράψαι, τῶν μὲν πλείων*

πλείστων ἐν τοῖς ὑπὸ ΗΡΑΚΛΗΔΑ κομιθέντεσσιν ἔχεις γεγραμμένας. Quisquis vero fuerit Heraclius, deperditae dudum vitae Archimedis Auctor, in eo temere & maxime errauit, aliisque detrahendi Apollonii laudibus materiem subministravit, quando, ut EVTOCIVS in Con. Apoll. retulit, adserere non fuit veritus, Archimedem primum consignasse elementa conica, Apolloniumque, cum ea sciret, necdum edita esse ab auctore, inuolasse in ea, & pro suis edidisse. Quamuis autem ipse Heraclius suae positionis rationes non reddiderit, reperti tamen sunt post eum alii, qui verosimilitudinem fictionibus, speciosis quibusdam ex fundamentis, conciliare laborarunt.

I. Ex ipso Archimedē demonstrare conantur, eundem elementa conica conscripsisse: eum in finem laudant Prop. III. de Conoidib. & Sphaeroidib. p. m. 51. vbi scribit: Εἴη κάνουν τομῶν ὄποιασδοῦν ἐνθέται, ἐπιψάνοντι ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ σαμείου ἀγρέναι, ἐώντι δὲ καὶ ἀλλα ἐνθέται ἐν τῷ τοῦ κάνουν τομῷ παρὰ τὰς ἐπιψανούσας ἀγρέναι καὶ τέμνουσαι ἀλλάλας, τὰ περιεχόντα ὑπὸ τῶν πυραμάτων, τὸν αὐτὸν ἐξουντι λόγον ποιεῖ τὰ ἀλλα ὄντα τετράγωνα τὰ ἀπὸ τῶν ἐπιψανούσων, οὐ μόλογον δέ ἐσται τὸ περιεχόντων ὑπὸ τῶν τὰς ἐτέρας γεραμμάτις πυραμάτων τετράγωνον, τὸ ἀπὸ τὰς ἐπιψανούσας παραλήπους αὐτας, ΑΠΟΔΕΙΚΤΑΙ ΔΕ ΤΟΤΟ EN TOIC ΚΩΝΙΚΟΙΣ ΣΤΟΙΧΕΙΟΙΣ. Et in περιεχόντων παραβολῆς p. m. 128. ante Prop. IV. ait: ΑΠΟΔΕΙΚΤΑΙ ΔΗ ΤΑῦΤΑ ἐΝ ΤΟῖΣ ΚΑΝΙΚΟΙΣ ΣΤΟΙΧΕΙΟΙΣ. Prouocant porro ad ea Archimedis loca, vbi aliorum mathematicorum scripta formula plane alia memorat. Sic L. I. de Sph. & Cyl. sub fin. Prop. XVI. p. m. 14 ait: οἱ κάνοι ὡν αἱ διάμετροι τῶν βάσεων τον αὐτὸν λόγον ἔχουσι τοὺς εἰζοστι ταυτέστι τοὺς ὑψεστι, πρὸς ἀλλήλας ἐν τριπλασίοι λόγῳ εἰσὶ τῶν ἐν ταῖς βάσεσι διαμέτρων, τάυτα δὲ πάντα ὑπὸ τῶν πρότερον ἀπεδειχθῇ: id enim demonstrauit EVCLIDES L. XII. Pr. XII.

II. Virgent, quod, quia Archimedes de Conoidibus & Sphaeroidibus, quadratura parabolae & aliis, quae fundamentalia doctrinae linearum curuarum capita supponunt, veritatibus late commentatus est, vel inde consequatur, eum grauioribus illis argumentis principia & elementa conica praestruere antea debuisse.

B

III.

III. Addunt κάνον όρθων Prop. XXV. L. I. de Sph. & Cyl. p. 20. nominari, & distingui ἀπὸ τοῦ σκαληνοῦ; fuisse adeo cognitas Archimedi sectiones coni obliqui, de quibus alias dicitur primus Pergaeus praecepsisse. Eam sententiam GVIDO VBALDVS in Comment. ad Aequipond. Archimedis defendit. add. VOSS. p. 434.

IV. Prouocant ad nomina sectionum conicarum noua, quorum alias inuentio Auctori Apollonio tributur. Prop. IX. de Sphaeroid. & Con. p. 55. docet: εἰν τῷ ἐπιπέδῳ τούτῳ γεγενέθω περί διάμετρον κύκλος ἡ ΕΛΛΕΙΨΙΣ. & Prop. X. p. 56. Δῆλον δὲ ὅτι καὶ μήλινδος ὁ περιλαμβάνων τὴν ΕΛΛΕΙΨΙΝ ἥρθε ἐστετται, &c. & p. ead. τετράγωνον ποιεῖ τὸ ἀπὸ αὐτοῦ καὶ ΕΛΛΕΙΨΕΩΣ. Plura similia effata in Archimedeo opere nullibi alias reperi.

Et haec sunt tela, quibus aduersus Apollonium recentiores nonnulli pugnarunt. His videtur adductus VOSSIVS, ut affirmaret, l. c. fortasse rudiores Archimedis chartas natus fuit Apollonius, atque eas perfecit. Simil tamen profitetur: *Vt cunque est, ante haec de conicis edita ab Apollonio, imperfecta erat eorum notitia; ut tradit Euclides init. Comm. ad Con. Apollonii.* Sed non possum non mirari, quare, nondum satis cognita causa, nec iudicata curate controvicia, is, qui supra Euclidis operum Apollonii partem non difficilis concesserat, nunc eiusdem Apollonii scripta non vereatur Archimedii adferre: quae sane ita comparata sunt effata, vt inter se conciliari non possint, & singularem in Vossio, rationum momentis defituto, inconfessantiam prodant. Eadem tuetur assertiōnēM DAVID RIVALTVS a FLVRANTIA Coenomanus Lud. XIII. R. Gall. a Confisiis regni, literarumque & pietatis studiis, qui & ipse Archimedem edidit: Paris. eto 10 xv. f. de cuius editionis pretio memorabile tulit iudicium praestantissimus BLONDELIVS *L' Art de jeter les Bombes* P. I. c. V. p. m. 43. ed. Amst. add. IO. VVALLISIVS Tom. III. Opp. praef. in Notis ad Arenar. Archim. p. 528.

V.

Sed instituti nostri postulat ratio, vt distincte & aperte propositorum argumentorum robur & dignitatem sub examen vocemus. Moneo autem I. HERACLIDIS testimoniūm

nium in hoc quidem negotio parum iuuare aduersae partis Patronos ; soli enim illi, qui forte intempestiuo Archimedis sui, cuius laudes enarrare aggressius fuerat, amore captus, veterum vnanimi consensui contrariatur, habenda fides non est ; praesertim, cum non amplius superfit vitae ipsius descriptio, ex qua de sinceritate & ingenio auctoris ferri iudicium poterat. II. Fraudem olim iam suspicatus est, & assertione Heraclidis temerariae ac inaudita ferio contradixit EUTOCIVS I.c. add. RIVALT. praef. ad Arch. de Conoid. p. 223. III. Ipse Archimedis defensor dubiam reddidit suae narrationis fidem, dum adseruit, Archimedem omnium primum elementa conica composuisse : nam & Aristaeum & Euclidem dudum ante Sirculanum Geometram similia publicasse, antiquitatibus constanti consensione & suffragiis confirmatur. IV. Ad ea, quae ex Archimedea afferuntur, in promptu nobis sunt responsiones. En locum ! qui priorem obiectionem apertissime confurat. L. de Sph. & Cylind. Prop. V. p. 4. docet : φανερὸν δὲ καὶ τοῦτο ὅτι ἑάν δοθῆ κύκλος οὐ τομεῖ καὶ χωρίον τὸ δυνατὸν ἐπι γραφοντα εἰς τὸν κύκλον, οὐ τὸν τομεὰ πολύγονα ἴστροπλευρα, καὶ ἔτι οἱ, εἰς τὰ περιεπιόμενα τμῆματα λέπτεν τινα τμῆματα τοῦ κύκλου οὐ τομεῖσθαι ἐλάσσονα τοῦ προκειμένου χωρίου ΤΑΤΤΑ ΓΑΡ ΕΝ ΤΗΙ ΣΤΟΙΧΕΙΩΣΙ ΠΑΡΑΔΕΔΟΤΑΙ. Quis τοιχεῖα Euclidea hoc loco significari negauerit ? in iis enim Prop. I. L. X. fundamentum latet illius veritatis, ad quam respicit Archimedes. Ibidem enim ostenditur, quod propositis duabus magnitudinibus inaequalibus, si a maiori auferatur maius, quam dimidium, & ab eo, quod reliquum est, rursus detrahatur maius, quam dimidium, & hoc semper ita, relinquatur tandem magnitudo minor proposita magnitudine minori ; ergo Archimedes, dum dicit ἀποδέδειται καὶ παραδέδοται εἰ τοιχεῖον, non suas, sed & aliorum observationes significat. Non dubito igitur statuere, in priori loco, quem supra laudauimus, designari per τὰ τοιχεῖα notissimas iam tum temporis demonstretiones Conicas Euclideanas. Iisdem enim nixus multa vterius de conis disputare & conscribere potuit, nec opus habebat, tractationibus susceptis

noua & peculiaria ex instituto tirocinia praemittere. Et
hoc ipso etiam alterum argumentum, nobis antea ob-
iectum, vim & fidem omnem amittit. Addam tamen in-
super testimonium PROCLI ad Eucl. p. m. 20. εὐκλείδης γάρ
τα ἀρχοειδέστατα καὶ ἀπλούστατα θεωρήματα, καὶ συγγενέστατα
τὰς πράταις υποθέσεων ἐνταῦθα συνιθροῖσαι, τάξιν λαβόντα
τὴν πρέπουσαν, καὶ αἱ τῶν ἄλλων ἀποδεξεῖς, τούτοις ὡς γνωριμώ-
ταῖς χρῆνται. καθάπερ δὴ καὶ ἡ ἀρχιμῆδης ἐν τοῖς περὶ σφαι-
ρας καὶ κυλίδου καὶ Αποθεώνιος καὶ οἱ ἄλλοι πάντες τοῖς ἐν αὐτῇ
τῇ πραγματείᾳ δεδεγμένοις ἀρχαῖς ὁμολογουμέναις χρόμενοι. π. τ. λ.
V. Ratio tertia plane nulla est: detur enim, eundem nouisse
conum rectum & scalenum, quos certe ignorare non potuit:
sed quod sectiones in utroque cono representare potuerit, &
revera ante Apollonium exhibuerit, illud erat demonstrandum. Accedit, quod solum semel illum conum memoret, nec
expresse a scaleno distinguat, & alias nude περὶ κώνου loquatur.
VI. Ratio ultima ceteris omnibus est speciosior, nec tamen ita
comparata, vt Apollonio gloriam promotaε καυψιμετρίας
cripat. I. Quoniam tantum tribus locis occurrit ΕΛΛΕΙ-
ΨΕΩΣ nomen, & ita quidem, vt in priori plane superua-
caneum, & praeter necessitatem adiectum sit, non absque
omni fundamento, utrum & verae sint illae lectiones, am-
bigere quis poterat, maxime, si, quam mutila & manca,
quotque inquinata vitii peruerenter ad nos scripta Archi-
medis, cogitauerit. p. 55. haec leguntur verba: εὐ ἐπιτέλω
τούτῳ γεγενέθω περὶ διάμετρον κύκλος (ἢ ἐλλειψίς) εἰ μὲν ἵστον
ἐστι τὸ τετράγωνον τὸ ἀπὸ τὰς ν̄ τῷ περιχομένῳ (κύκλῳ) εἴ δὲ
μη ἐστιν ἵστον ὁξυγωνίου κώνου τομὴ τοιάντα. π. τ. λ. Seruat
vobis haec prodit sententia: In plano hoc describatur circa
diametrum circulus aut ellipsis: siquidem aequale est quadratum
lineae N ei quod fit ex lineis datis, circulus; si uero non aequale
est, scribatur acutanguli coni sectio talis. &c. Sed omisis iis,
quae aliena sunt, & sensum tantum non obscurum redi-
dunt, ita fluit expofitio: Describatur in plano hoc circa dia-
metrum circulus, si quadratum ex N est aequale factō ex duabus &c.
fin, siat acutanguli coni sectio. &c. Hanc sententiam priori
esse

esse anteferendam & planiorem, uel me non monente,
omnes intelligent. II. Ne autem audaculus in emendan-
dis sine codicum fide dictis videar, admittam lubens, Ar-
chimedem nouissime Ellipseos appellationem, iam quaeſo de-
monſtrenſe ii, qui pro Archimede pugnant, etiam Hyper-
bolam & Parabolam ipſi ſuifile cognitas: offendant id prea-
cipue, vna cum nominibus, eundem quoque & affectio-
nes uniuersales, quas Apollonio auctori vindicabimus, &
iam ex parte ſupra adſeruimus, ſciuiffle, & tradidiffle; nam
de hoc ultimo in primis agitur controuerſia. Potuiffle autem
ſciri nomen Ellipseos, vt tamen eius uniuersalis ratio ignorare-
tur, vel ex nomine patet. Designat enim defectum & omissio-
nem, &, cum figura omnis ellipſeos a figura circumscripti, di-
midio lateris tranſuerſi interuallo, circuli ſui deficiat, & eo mi-
nor fit, dici potuit quaſi circulus imminutus. Et fane iam olim
haec appellationis a quibusdam reddita eft ratio. Ipſe EV-
TOCIVS in Comin. ad Apoll. L. I. παραβολὴν ἀπὸ τοῦ πα-
ράλληλον ἔναι, ὑπερβολὴν, quia continuatio ſecantis lineae,
ſiuie latus tranſuerſum, excedit & ſuperat coni verticem;
ἐλλειψὶν quaſi circumulum imminutum & contractum nomi-
nari poſſe, & nominatas fuiffle expreſſis verbis teſtatur.
comp. FRANCISCI BAROCII Patricii Veneti Opus, de
Admirando Geometrico Problemate, quod docet lineas de-
ſignare δομηπτών, tredecim modis demonſtrato. ed. Ve-
netiū CICIO LXXXVI. 4. vid. p. 25. ſqq.

VII.

Quamuis autem, poſt confutatas eas, que Apollonii
merita petebant, obiectiones; iam iam eo ipſo & honores
Pergaei defenſi fint: addam tamen, paucis, ante aquam hinc
diſcedam, alias quasdam rationes, que ad aſſertorum con-
firmationem ſpectare uidentur. I. Fieri non potuiffle in-
uentorum Archimedearum fraudulentam translationem pa-
tet, ſi Apollonii & Archimedis aetates contendamus. IO.
TZETZES, quem RIVALTVS in Vita Archimedis ope-
ribus iphius premiſſa laudat, Archimedem LXXV annos aet-
ate attigiffle, procul dubio ex aliorum uetustiorum ſcripto-
rum fidis testimonius perhibet; iam vero periu in expugna-
tione

tione Syracusarum, circa Ann. ante C. N. CCXIV. & sie
natus est A. CCLXXXIX. Apollonius uero Alexandriae
floruit sub PTOLEMAEO Euergeta circa An. ante C. N.
CCXL, id quod ipsius Heraclii in V. Archimedis suffragio
comprobari ait RICCIOLVS Chron P. II, p. 30. add. VOS-
SIVS p. 54. qui, proximae eum post Euclidem antiquitatis
fuisse, largitur: vnde consequitur, eodem Geometram
vtrumque clariusse tempore: vt paucissimis annis dici queat
Pergaeus Syracusano iunior; & si huius inuenta, a priori
plagio surrepta dixeris, concedes, id a sene Apollonio demum
fuisse tentatum, quo tempore nec de illa fraude facile co-
gitare, nec sibi ex diuulgatis alienis foetibus, eam quam, si
vetuissimis scriptoribus habenda fides, confecutus est, ce-
lebritatem polliceri potuisse videtur. Potius, cum illustre
Apollonii nomen iam sub Euergeta I. fuisse dicatur, & alias
antiquitas omnis, a conorum doctrina promota, praecipuas
Pergaei laudes repeat, vero longe similius adseretur, Apol-
lonium, circa idem tempus, quo & Archimedes inclarescere
ingenii sui documentis coepit, nouas καμψουερπας accessio-
nes, antequam ipse Syracusius vita excederet, orbi erudi-
to obtulisse. II. Iuuat nostram sententiam folicitior vtri-
usque Geometrae de quo sermo est; conditionis confide-
ratio. Alexandriae studiorum causa iuuenis commoratus
fuerat Archimedes. conf. RIVALT. l. c. D. FABRIC. L.
III. c. XXII. p. 544. In Siciliam reuersus, longius quidem
aberat ab illa inclytissima Mathematicorum sede: cupidus
tamen haud dubie nouarum, quas Geometrae Aegyptii ma-
chinabantur, rerum, Alexandrinorum inuenta paulo captauit
studiosius. Sed Apollonius Alexandriae haerens, de quo,
quod Syracusas viderit, nusquam legitur, vix potuit, ea fa-
cilitate, certior reddi de iis, quae vel conceperat animo,
vel in scripta retulerat, & sibi fuisse in scripsi feruabat
Archimedes; qui vt pote, συγγενής καὶ φίλος Regis, ultra
fortem, qua vtebatur Pergaeus, altius multo euectus vi-
debat. Demonstrandum igitur erat, quo modo, quaque
arte, vel viu adhuc uel defuncti Archimedis scripta acqui-
rere ita potuerit Apollonius, vt nullius amplius in notitiam
9003
com-

communicatio ista perueniret. III. Valet & heic argumentum longe firmissimum, quod supra, ab ipso Apollonio, sibi, nemine repugnante, debitas laudes & repertas nouas veritates tribuenti, suppeditatum laudauimus. IV. Quae supersunt Scripta Archimedis euincunt, latuisse eundem ea, quae deinceps detexit Apollonius. Si enim cognita habuisset, plura profundiora & ampliora doctrinarum de quantitate capita confignare literis, posteritatique relinquere potuisset. V. Accedunt his manifesta indicia in ipso Archimedeo opere obvia. Quae inter non omnino spernendum est, quod legitur in definitionibus, quae in Op. de Sph. & Conoid. principio enumerantur: Ibi lineas, quas ἔγγραφες τὰς τοῦ ἀμβλογωνίου κάνου τομας (sunt Apollonii δούματα τῆς τομῆς) item τὰν μεταξὺ εὐθείαν τὰς τε κοσυφάς τοῦ κάνου τοῦ περιέχοντος τὸ κώνοντος, sive ποτεύσαν τὰ ἄξονι, foli tribuit cono obtusangulo, atque eo ipso, se hyperbolēn, liceat novato uti nomine, tantum cam perspectam habuisse, quae coni obufanguli sectio est, satis aperte prodidit. His igitur argumentorum ponderibus adduci me passus sum, vt perbreui hoc schediasmate adsererem, Apollonium Pergaeum, non modo ab omni plagi suspitione liberandum, sed etiam pro vero subtilissimarum & utilissimarum veritatum auctore primo ex iure & merito habendum esse. Sed conuertor nunc ad ea, quorum potissimum causa haec suscepta tractatio est. Scilicet prodire me hoc tempore in publicam lucem iubet SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS PRINCEPS ET DOMINVS DOMINVS FRIDERICVS AVGVSTVS REX POLONIARVM ET SAXONIAE ELECTOR DOMINVS NOSTER MVLTO CLEMENTISSIMVS, QVI, postquam Patrum Illustris Academiae Conscriptorum Ordo, exoptato Consensu, tenues conatus meos commendauerat, Nutu Gratiostissimo, mihi prouinciam, MA-

MATHEMA T A, hucusque, aliquot per Dei gratiam annis, intra sindonem, pluribus quoquis die horis, non interruptis fere recitationibus, explanata, publico impostatum & illustri loco extra ordinem profitendi, longe Clementissime imposuit. Parendum est iussibus PATRIS PATRIAЕ Benignissimis, cunctisque eo enitendum viribus, ut humillimis paratissimisque obsequiis Regiae & Principali Voluntati aliquomodo respondeatur. Eum igitur, quod felix faustumque Optimum & Immortale Numen esse iubeat! in finem, **publicas in Auditorio Philos. Praelectiones Mathematicas**

Die VI. Mai. quamprimum nempe aliae, quae nunc nos occupatos tenent, operae ad finem perductae fuerint, Hora signillatim significanda, exordiar, & tum de instituti quoque rationibus latius, Deo auxiliante, praefabor. Quas qualeuscunque, omnium Matheleos aestimatorum commodi ergo suscepitas explicaciones, ut sua Generosi & Nobilissimi Domini Commititones praesentia benigne dignari & ornare velint, ea, qua par est, obseruantia & humanitate rogo atque contendo. Id agam, qua possum fide & diligentia, ne quem, collocati in illis studiis temporis laboriue, usquam poeniteat. P. P. Fer. II. Pasch,

cicci xv.

VITEMBERGAE

PRELO GERDESIANAE VIDVAE.

177
TOMO QVIJO. 1770. 1771. 1772. 1773. 1774. 1775.
Clementissima. Ora. Solida. Petrus
Thierry. Academica. Contulisse
Vitembergae. 1770. 1771. 1772. 1773. 1774. 1775.
Compendiorum. M. 1770. 1771. 1772. 1773. 1774. 1775.

94 A 7331



Sb.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



SCHEDIASMA
IN QVO

APOLLONIO PERGAEO
DOCTRINAE
CVRVARVM
PROMOTAE
GLORIAM
VINDICAT

ET

GENEROSIS NOBILISSIMIS QVE
DOMINIS COMMILITONIBVS
PRAELECTIONVM MATHEMATICARVM
PVBLICARVM
AVSPICIA
COMMENDAT

IO. FRIDERICVS VVEIDLERS
MATHEMATIVM PROFESSOR PVBLICVS
EXTRAORDINARIVS

A. R. G. 17CC XV.

